

id quod plene colligitur, ex duobus Nicolai Leonicensi libellis, & ex Francisci Caballi Brixiani opusculo, & ex aureo Ambrosij Leonis Nolani libro. Hi omnes sui temporis, hoc est, superioris seculi cæcitatem deplorarunt, & omnia in abusum abierunt, & illius quoque temporis ignaviam detestantur. Neq; etiam Theriacam, quæ mirificas facultates haberet, ignoratione Viperæ & aliorum medicamentorum, tunc conficere ritè potuissent, & inutilis ferè erat si parabatur. Si basis Theriacæ sunt Viperini pastilli, & illi ipsi rectè confici nō valebant ignorata vipera, ad reliquos serpentes Arabes recurrerant. Sed his cæcos oculos N. Leonicensus aperuit primus omnium, & alij nisi errorem præcognovissent in eisdem tenebris versati fuissent, & multi pertinaciter errassent, atq; perstitissent, ut tam efficax remedium toto suo corpore excellens diutius retardarent, quod corpore toto, carne, pelle, oleo, ossibus, pinguedine, pulvere, aut cinere, laqueis, pastillis, & antidotis, vino quoq; & salibus mirificè prodest; sed hoc naturæ dono scitum, quæ cuncta gignit, & suo gremio complectitur, ad hominum salutem notum esse voluit, & oblata occasione cum experientia cognitū; veluti, quis potuit marinos scio-nes, ut vocant, osseo manubrio, seu osse bubalino

lino